




Db. 15

GEORGIO  
FRANCIS





63.  
B

VERSUS GRATULATORII  
HONORI

ILLVSTRISS. ET  
PIENTISS. PRINCIPIS AC  
DOMINI, DN. IOANNIS GEORGII PRIN-  
cipis Anhaltini, Comitis Ascaniæ, do-  
mini Seruestæ & Bernburgi, &c.  
secundùm iam sponsi:

ET ILLVSTRISS. AC GENERO-  
SISS. DOMINÆ, DN. DOROTHEÆ  
*Nata Comitissæ Palatinæ, magni illius & for-  
tiss. herois, DN. IOANNIS CASIMIRI,  
L. M. Comitis Palatini proelecto-  
ris &c, filia unica relicta.*

Nuptias celebrantium Heidelbergæ Prid.  
Cal. Septemb. ANNO clō. Io. xcV.

Quibus addita sunt Carmina ad  
Illustriss. Principem & dominum, DN. CHRIS-  
TIANVM PRINCIPEM ANHAL-  
TINVM, &c. de ipsius  
Cels. nuptiis.

AUCTORE IOANNE GESENO  
DESSAVIENSI ANHAL.



HEIDELBERGÆ,  
Apud Abrahamum Smeismannum.  
ANNO clō. Io. xcV.



MAGNIFICO ET PRAECEL-  
LENTISS. VIRO DN. CASPARI PEVCE-  
RO Philosophiæ & Medicinæ Doctori celeberrimo,  
Archiatro & Consiliario Anhaltino &c. Domino & Mecænati  
plurimum obseruando.

*M*agne vir Ingenio, Medica nulli arte secunde,  
Quem Chorus Aonidum, vult Comitumq; Themis:  
Salue cura ducum: constans Pietatis amator:  
Quo maius nescit Teutona terra decus.  
Me pius, ad sanctas quæ scripsi Carmina tædas,  
In patriæ patres scribere iussit amor.  
Vilia quæ fateor, tantis nec digna Dynastis  
Quos multa Pallas reddidit arte graues.  
Non tamen usque adeò poterunt indigna videri,  
Si tuus illa fauor qualiacunque iuuet.  
Ergò oblata Duces ut Carmina nostra serena  
Fronte legant, omni perfice, quæso, modo.  
Gloria Peoniæ maneat sic artis, & cui  
Grande decus nostri delitiæq; ducum.  
Viue diu, innumeros ò viuere digne per annos:  
Extera quem toties viuere regna iubent.

T. M.

Addictiss.

Ioannes Gesenus Dessauien-  
sis Anhaltinus.



## ELEGIA NUP TIALIS.

**P***U*rpureas aurora fores reserârat Olympi,  
Et iam pulsa nigra tempora noctis erant.  
Frigida adhuc tellus vitreo de rore madebat,  
Densior ac Nicri lymp<sup>h</sup>a vapore fuit.  
Tunc loca sola, sacris requies & amana Camenis,  
A populi strepitu sunt quia grata nimis.  
Egressum portis campi excepere virentes,  
Percupidum primo me vegetare die.  
Errans propter aquam, florum mirabar honorem,  
Quos nullo pictos prata serente ferunt.  
Riuosq; illimes, musco & circumlita saxa,  
Ac montes circum, conspicioque nemus.  
Nec nouisse locum potio<sup>r</sup>em rure beato  
Me, duco tacitus, ruris amator, ego.  
Mulcentes varijs passim concentibus æthram  
Orta salutabant lumina solis aues.  
Lento progressus passu letabar, ab imis  
Mente volans terris ardua ad astra poli.  
Pulcrior & solito cur liquerit æquora Titan,  
Vltima non mecum quaerere cura fuit.  
Non raro solis facies dat nosse futura,  
Siue ea læta nimis, siue ea tristis erit.  
Sic ego dum tacitis solus secessibus erro,  
Ignarus placidi caussam aperire poli.  
Haurire aure sonum superantem plecta fidesq;  
Cum fidibusq; hominum guttura, visus eram.

Obstupui: steterantque comæ, retroque volebam  
Ire, tamen clangor præualet iste metu.  
Eccè nouenarum diuina caterua sororum,  
Mnemosyne natas quas genitrice ferunt,  
Aduentant, viridi redimitæ tempora lauro:  
Illarum, Iuuenis, dux, Pataræus erat.  
Oshumerosque Deo similis frontemque decoram:  
Consuta ex auro gausape vestis erat.  
Aurea tota Chelys fuerat quoque, leta per arua  
Non imitabilibus quam ferit ille modis.  
Admirabantur syluæ montesq; sonantem  
Et tacitus stabat flumina fixa Nicer.  
Hunc animo tandem redeunte sonora mouentem  
Fila lyra, breuibus sustinui alloquier.  
Phæbe pater vatum, votis bonus annue nostris:  
Quà sit iter sacris, dic, rogo virginibus.  
Letitiæque nouæ doceas quæ caussa sit huius:  
Pieridum præses sic vocitère bonus.  
Sic oculus mundi maneat, atq; omnia cæli  
Splendidior hebetes lumina luce tua.  
Sic iter æthereum sternens, Dea nuncia lucis  
Antè tuos currus vadat, & astra fuget.  
Eunomieq; decens tibi pareat una, nec vnquam  
Vrna grauis natum post Phætona premat.  
Sic & Atlanteis, per agratis, finibus æthra,  
Defessum Doris leta receptet aquis.  
Semper & intonsos tibi laurea ferta capillos  
Constringant, desint nec tibi fila lyra.  
His victus precibus, Iuuenis cupidissime fontis  
Gorgony, retulit, quod petis omne feres.  
Liquimus Aonij laureta sonantiamontis,  
Inque Palatini venimus arua soli.

Nuper



Nuper eramus & hic, CHRISTIANO hymenæa canendo,  
Ascaniæ eximio Martetogaque duci.  
Est ubi facta tori consors illius, ab alto  
Profiliens gentis stemmate PENTHEMIÆ  
ANNA placens gestu, plenis & nubilis annis,  
Nympha potens animi Corporeisq; bonis.  
Non aberat frater, patriæ è ditione profectus,  
Quam regit ingenuus dux, patriæq; pater.  
Qui postquam fida spoliatus compare, sponsam  
Spem præter voti repperit ipse sui  
CASMIRO genitore satam, mundi omnibus oris  
Est cuius Pietas dextraque nota viri.  
His quoq; iungendis, fas est applaudere cantu,  
Proq; pio illorum fundere vota toro.  
Sponsorum nobis sic suasit amica voluntas,  
Sic horum meruit splendor honosque novus.  
Dixit: & attingens Citharam athera mulcet amano  
Concentu, & captum currere pergit iter.  
Parua mora est: ad idem festum venère Tonantis  
Et soror & coniux, Pallade cumq; Venus.  
Ponè ibat Genius, Genij & germana Voluptas,  
Cum Charisi reliquis Euphrosineque decens.  
Sunt sua Iunoni, sunt & sua dona sorori:  
Ceston blanditijs fert Erycina Venus.  
Cinctus Hymen sertis redolentis tempora Myrti,  
Asiliens circum iam præit & sequitur.  
Sacraque legitime quibus associantur amantes  
Connubio dulcis vincula portat Amor.  
Eius ad aduentum incundo compita piausu  
Cuncta fremunt, & Hymen vox Hymenæe sonat.  
Dulcis Hymen valles, collesque Hymenæe resultant,  
Ex antris & Hymen Echo Hymenæe sonat.

*His & in umbrosis nemorum quæ vallibus annos  
Fallitis, accêstis cætus Hamadryadum,  
Ad liquidosque, Napeæ, amnes quis viuitur æuum:  
Adductæ dulci voce Hymenæe tua.  
Agglomerant quarum lateri Tritones, & unca  
Permulcent hilares littus & arua tuba.  
Turba in comta licet, Satyri Panesq; petulci.  
Inuitis comites omnibus ire parant.  
Ventum erat ad portas, quæ principis atria pandunt:  
Intrarunt celsas dij, deaq; domus.  
Officij & memores, prout cuique est copia, donis  
Condecorant thalamos & bona verba ferunt.  
Sic quondam Cadmi ad thalamos venisse feruntur,  
Ac cecinisse toro Carmina Pegasides.  
Sique vetus vera est fama, ad connubia Pelei  
Dij sua præsentis dona dedere pij.  
Salve cura Iouis, patria rectorque paterq;  
Gloria Anhaltina præsidiumq; domus.  
Me quoq; gratari tenuiq; applaudere Versu  
Coniugio, duco fasq; piump; tuo.  
Leticiam gaudere tuam communiter æquum est,  
Imperij cuius pars quotacunq; sumus.  
Sic mos antiquus, nullum moriturus in æuum,  
Sic Phæbus, sic nos turba nouena iubent.  
Nunc ergo viduas tandem deponere querelas,  
Nec posthac mordax maceret ossa dolor.  
DOROTHEA est defleta satis prior: altera restat  
DOROTHEA in luctus nata medela tuos  
Qua vires natura suas effudit in una,  
Et mirata suum vix opus esse putat.  
Si quondam Ideo pastori hæc visafuisset,  
Non ipso Paphie Iudice prima foret.*

*Atri-*

Atridaeque Helenam, rapuit quam, redderet idem,  
Dicta puellarum sit licet illa decus.  
Talem &, si sapieres potius pro Gnoside velles  
In caelum celeri Bacche referre rota.  
Sed quid ego recino, donum violabile, formam  
Quae morbo & morti subdita saepe perit.  
Quam citò languescunt, compressa solis ab aestu  
Aureola nimio deficiuntque rosa:  
Tam subito fulgor, roseo qui lucet in ore,  
Lædi, nil gemitu proficiente, potest.  
Ipse pudor Pietasq;, globis præstantior auri  
Durat ad extremos non minuenda dies.  
Quicquid at illustri miramur virgine, id omne  
Possidet innatis en tua sponsa bonis.  
Dotibus ergò alijs tantò melioribus aucta,  
Sol quantò est alio sidere lucidior.  
Hoc nece præreptum compensat munere amorem,  
Teque suum exhilarat post mala fata DEVS.  
Dum loquor, æra tubæq;, sonant: it clangor ad astra  
Altaq;, dulcisonis obstrepit aula sonis.  
Conueniunt proceres genere ac Virtute potentes,  
Ut faueant tædis pectore, & ore nouis.  
Ducta gynæceo, stipante, ducissa, caterua  
Cum sponso subeat vincula sacra, venit.  
Illius ex oculis Charites candorque relucet;  
Inque DEVM Pietas, in sociumque fides.  
Quid referam ornatum, quo digna incedit amictu,  
Et forma & generi conueniente suo.  
Marmoreo splendent bacata monilia collo,  
Et fusas ambit plurima gemma comas.  
Armillis dextra est ornata sinistraq;, multus  
Exq; auro circulus comprimit articulos.

Syrma

Syrmata sunt tunica diuina Pallados arte  
Picta, atque ex ostro est instita facta rubro.  
Quae Paphia, Orchomeni benè olenti imbuta liquore est,  
Post & Acidaliae flumine lota, dea.  
Si tunica ista tibi cupida sopire tuentem,  
Iuno, tuum Phrygio vertice bella Iouem.  
Non opus, ambrosios ut conspicerè Dionis  
Cincta sinus cesto versicolore tuos.  
Hanc induta faces animo facilemque soporem  
Injceres, voti compos adusque tui.  
Non meliore fuit velata vel Ester amictu  
Facta tui consors, magne Darie, tori.  
Qui tibi surget honos hac virgine IANEGEORGI?  
Vni cui debes omnia, & illa tibi.  
Aspice ut incedat, vultumque pudore coloret,  
Certa mori, vel te præter amare nihil.  
Aspice sidereos, quales non gessit ocellos  
Io nympharum gemma, vel Antiope.  
Huic in amore vicem reddas & honore iugali,  
Hanc præter nullam certus amare nurum.  
Entibi CASMIRVM socerum dat habere, potentem  
Et fama, & factis stemmatibusque ducem.  
Quem tellus, quam Thraces arant, quem Caucasus ingens  
Horruit, & Latia fur & adulter humo.  
Cuius magnanimo contempsit pectore fraudes,  
Non ditione sua has passus habere locum.  
Quid decus Imperij, FRIDRICI nomen & omen  
Qui gerit, eximium commemorem ipse ducem?  
Illius est Virtus & corpore maior & annis:  
Sospite quo florent curia, templa, Scola.  
Is vocat agnatam patruelis, more & amore  
Quae te nympa suum blanda salutat herum

Heroas

Heroas reliquos, illustre genusq; Leonis,  
Præteream ipse lubens ver sibus imparibus.  
Innumero obruerer numero, faustum nec haberet  
Successum, maius viribus istud opus.  
Si series generis, longusq; propaganis ordo  
Deductus priscis excuteretur auis:  
Sceptraferos rerum dominos magnosq; Dynastas,  
A gente hac ortos nemo negare potest.  
Tu quoq; Anhaltini, nulla Virtute carentis  
Sola ducis nymphe digna reperta toro.  
Te, quamvis Charitum larga indulgentia certet  
Munere pollentem condecorare suo:  
Hunc venerare tamen, dominumq; vocato marito  
Ore tuum blando, quem iubet esse Deus.  
Conciliatur amor, dulci retinetur & idem  
Obsequio: rigor est res inimica toro.  
Imperio ergò comes comis iam assuesce iugali,  
Quaq; ipsi poteris, parte placere place.  
Indignus non est, quem complectaris amore,  
Iusq; uni credas corporis omne tui.  
Srenuus incedit, vernantibus integer annis,  
Nullus & in pulcro corpore neuis inest.  
Nec genus indecorem dicas, de stirpe trahentem  
ASCANIÆ generis semina longa sui.  
Iapetionidà descendere id Ascane fertur,  
Perquàm illustre ausis fortibus atq; toga.  
Scilicet hanc felix, hanc seruat Anhaltica laudem,  
Heroas tulerit quod generosa domus.  
Qui tituli memores & auita laudis, honorem  
Pace datum atque armis amplificare student.  
Hectoras hos inter multos, Cyrosq; repertos  
Quouis historia tempore scripta docent.

B

Quem

Quem latet ALBERTI virtus, cui nomen ab Urso est,  
Qui magnus bello, magnus & arte et toge  
Expulit immites Henetos Sorabosque nefandos  
Vigladij à ripis, Albi vadose, tuis  
In quorum subiere locum de gente coloni  
Germana, forti turba recepta duci.  
Marchia huic etiam cecidit, septemq; viratus,  
LOTHARIO Imperij sceptragerente sacri.  
Nec vos Alberto indictos genitore relinquam  
Prognatos, nostro carmine semideos  
OTTO potens armis, patrij & successor honoris:  
VRSI duritie nomen & alter habens,  
Ensisferum Imperij, ac dominum Saxonidos ora  
Historie quondam quem monimenta ferunt.  
Felices ambo: tanto digniq; parente:  
Vestra mori nullo tempore fama potest.  
Vos factis magnos tribus abs OTTONIBVS ortos  
Aiunt Casarei sanguinis esse genus.  
Tu quoq; Martis honos, partes RODOLPHE secute  
Per mare, per terras Cesaris eximij,  
Non peritura feres à toto nomina mundo,  
In precio virtus aurea donec erit.  
Nil Venetum es vires veritus, qua vindice constat  
Nudatos populi flore fuisse sui.  
Impete cum facto aduersi urgerentur in amnem,  
(Nomen is impositum Bachilionis habet)  
Quo perisse ferunt ter millia terna virorum,  
Plurima calce licet pars quoq; pressa fuit.  
Te fera victorem VINCENTIA, cumq; VERONA  
Priamide vrbs latia condita sensit humo.  
Nec laus sola tibi hac est: arduiora patra sti  
Dans tyrociniy prospera signa tui.

Imma-

Immani Scythicus grassatus cade Tyrannus  
Auspice te, turpi terga pauore dedit.  
Atq; Propontiacas sine laude recessit ad oras,  
Exutus castris militibusq; suis.  
Iudice laudata est ergò tua principe Virtus,  
Romani regni qui moderator erat.  
Fidus Anhaltinùm & sanguis Virtute fideq;  
Viuus adhuc nostris iure vocatus eras.  
Etsi accensa odijs infida Verona veneno  
Sustulerit, dignum viuere perpetuò.  
Sic Marti inuictum succis Hecateidos herba,  
Fraus vicit, magnis fraus benè nota viris.  
Salve bellator fortissime: spiret in urna  
Thusq; crocumq; tua purpureaq; rosa.  
Laudibus auxisti patriam famaq; perenni,  
Qua duce te cælum tangere visa fuit.  
Quis presul laudem equabit diuine GEORGI  
Voce tuam, ASCANIÆ gloria celsa domus?  
Non puduit verà de relligione docere  
Te populum, ac laudes asserere ore DEI.  
Te Pietas, te Pierides, Themis almaq; raptum  
Fleuère antè diem: Patria luget adhuc.  
Dum collecta ergò mansura Ecclesia CHRISTO est,  
Non inter sanctos laus peritura tua est.  
Connumerandus ijs meritò es tu ERNESTE IOCHIME:  
Nam laudis terra est nescia nulla tuae.  
(Quæ minima haudquaquam est, frustra ringente Fabello,  
Pantopiam contra mens tibi quod fuerat.  
Nec concedebas commenta docentibus vllum  
In cathedrâ aut templis prodigiosa locum)  
Restitit en solum, multos dominata per annos,  
Te penes Ascaniæ stirpis auita domus.

*Cuius firmasti generosâ fulcra iuuentâ  
Quæ casura quasi visa fuere diu.  
Stent precor aternum, nec herilia corpora mutant,  
Dum rapidus liquidas Albis habebit aquas.  
Audentem tenui sed versu cuncta referre,  
Deficit ingenium, non bona materies.  
Tunc tot ac tantis ducentem heroibus ortum,  
Quis par, si maior non is habendus, erit:  
Tunc inquam talem redamare, virago, negares?  
Quo cum conueniens non tibi deërit honos,  
Conditione tua dignam laudemq; decusq;  
Expectare potes iuncta ducissa duci.  
Si Pietas parere DEO est: parebis amori  
Cuius is est auctor fautor & usq; manet.  
Hic socer adiunxit genero supremus Adamo  
Euam, una & iussit viuere carne duos.  
Hinc res humane ducunt sibi semina: castus  
Hinc sua nunc passim spicula mittit amor.  
O sacer, ac homines quo non antiquior inter  
Est ordo, ac flammæ certa medela vagæ.  
Vita soluta toro non cuiuis utilis, æstus  
Incidit in vetitos, exitiumque trahit.  
Non opus exemplis: vrbes euertit & arces,  
Ob Paphiæ technas & mala furta, DEVS.  
Queritur immersus cur undis mundus, & igne  
Terra perit Sodomæ? Causa libido fuit.  
Dorothea ergo vide, quantum te Fata bearint,  
Dum iungendo viro, lege iubente, venis.  
Huius eris consors, sine qua non tempora lucis,  
Non noctis peraget: qua sine tristis erit.  
Siderea vobis benedicet ab arce Sionis,  
Coniunctisq; fauet qui fouet omne Deus.*

*Susc.*



*Suscipe virgo virum, & complectere amanter amantem.  
Virg, preme ad roseas ora sonora genas.  
Sic licitum est vobis: viridis sic suadet & etas:  
Heu annos pereat perdere quisquis auet.  
AEs & opes adimit scrs, sorsq, reportat: at hora  
Præterita haud aderit: deperit illa semel.  
Non aberit fructus, nisi valdè fallor: at omen  
Læuum absit: dextrum comprobet ipse DEVS.  
Sunt satis hæc, finire melos modus admonet æquus,  
Quæque omiſſa mihi, plura loquetur Hymen.  
Quos genus, & virtus & amor sociauit & etas:  
Nulla precor placido soluat amore dies.*

---

IDYLLION.

CHORVS VIRGINEVS PSALLENS.

**I***Am roseum caput abdiderat sol flumine Ibero,  
Vespere cum rigidas terra inducente tenebras,  
Sidere & exorto, iuuat inuitare soporem  
Accubitu, curis fessos operisq, diurnis.  
Antè recens thalamum spirantem unguenta rosasq,  
Puniceas, ubi formosa cum virgine, stirpe  
Illustri cretâ, cui vis agnata Leonis,  
Primum ducentem somnos heroa, cui ortus  
Sanguine ab Ascanio est, coniunxerat alma Dione:  
Bis senæ multum præstantes Rhenidas inter  
Et facie, & forma, manibus per mutua nexis,  
Implicitoq, comis Hyacintho suauè rubenti,  
Ducendo Choreas, læta cecinere puella,  
Talia Verba, domus quæ tota impleta resultat,  
Montesque ac syluæ circum assonuere propinquæ.*

Siccinè te pressum somnus tenet, hesperus ortus  
Quo vix est: generis lux ingens: IANE GEORGI  
Dux atavis abavisq; potens: tibi membra regendo  
Frena ferocis equi nunquid sunt lassæ, soporaq;  
Hinc nimium gratus? num dulcia vina quietem  
Conciliant nondum maturo tempore, dulces  
Quo Cylleneis fidibus, citharisq; sonoris  
Perq; domus, vacuumq; forum tacitasq; plateas  
Phæbeam strepitus iuuat edere quippè cateruam:  
Quo sineres nympham quoq; nobiscum esse volentem,  
Exornare choros, agilesq; ex arte choreas  
Ductare, ac caris lusum instaurare propinquis,  
Donec ad auroram, citius spe nocte peracta  
Corpora dulce foret curta recreare quiete.  
Nam quæ iuncta tuis nunc suauiter accubat vlnis  
DOROTHEA, athereum munus, ceu nominis omen  
Dulce sonat, tibi contingens, recreabit amantem  
Non solum nocte hac duplicando basia, cordis  
Dimidium vna tui, tua sola & vera Voluptas:  
Sed quodcumq; cui adijcient fatalia nentes  
Stamina concordēs Parcæ, tecum exiget omne.  
O nimium faustum, & felici sidere natum  
Cui proficiscenti genius bonus annuit, undas  
Ad Rheni, nympha modò qui visa, indè petita  
(Vsq; adè impatiens moræ amor) procius ipse potiris,  
Quæ rogitata semel voluit tibi nubere: at arcem  
Coniugis haud vacuam, sociæ viduumq; cubile  
Postea depren-des, nec molli Syndone quamuis  
Instructus, plumisque effarctus mollibus esset,  
Esse tamen durum lectum, duxisseq; noctem  
Expertem somni querula ipse fatebere voce.  
Præ multis alijs teneri tibi mater Amoris

Fauit,

Fauit, eam adiungens vno sub stragulo amicam,  
Quam genus, & virtus, & forma, & nubilus etas  
Antè omnes longè extollit quas Neccarus, & quas  
Grande sonans longèq; fluens Rheni aspicit vnda.  
Gemma puellarum salue: salueto pudoris  
Formula: collata tibi nos superabimur à te  
Ut radiante auro cuprum: utq; argentea luna  
A solis facibus: niueo vel ut anser olore.  
Tu decus omne tuis, rosa flore & odore venusta,  
Quam ros nocte rigat, sol confouet igne diurno:  
Vsq; in honore & amore habita, & post semper habenda  
Nobis: sed nostra post non comes vna cohortis,  
Principis eximij coniux, materque futura.  
Nos verò ad syluas & amictos gramine colles  
Ibimus impletum calathosque sinusq; venustis  
Floribus, ac foliis pictis crescentibus aruis,  
Dorothea immemores nunquam, cuiserta paremus  
Ex thymiamite, humi niuea nascenteq; loto,  
Exq; rosa Caltha, atq; thymo, ac Libanotide odora,  
Hactenus ante omnes prima, quas plurimum amauit  
Virgineum cætum ornantes Dictynna venatrix.  
Tuq; etiam illustres non eementite parentes  
Ascanius sanguis gaude tua noscere bona:  
Dorothea, cui forma foris sed pectore Virtus  
Brachiolis cinctus iucundum carpito somnum,  
Proq; vno euigilans iterum imprime basia mille  
Basiolo, haudquaquam fido vincendus amore.  
Sit benè perpetuò vobis: concordia lectum  
Vsq; beet vestrum, multa sed prole feracem,  
Illustre ut capiat genus incrementa per omne  
AEuum, sintq; duces populo qui iura ministrent.

ILLV-



ILLVSTRISSIMO AC GE-  
NEROSISS. PRINCIPI AC HEROI DN.  
CHRISTIANO, PRINCIPI ANHALTI-  
NO, DOMINO SERVESTÆ AC BE-  
RENBV RGI, &C. DOMINO SVO  
CLEMENTISS.

S. P. D.

**D**E matrimonio feliciter inito c. r. nuper gratula-  
turus, paucula quædã Carmina pro Ingenij mei  
tenuitate exarâram, & Typographo imprimenda da-  
re decreueram. Verum enim verò considerata tui,  
princeps fortiss. ingenij præstantia planè singulari,  
atque etiam qua multos alios longè antecedis, doctri-  
næ eruditæ copia, econtrario verò pensata versuum  
viliorum qualitate meorum, propositum eos euul-  
gandi abiecti: subueritus scilicet istud Venusini Poe-  
tæ: Ridentur mala qui componunt carmina &c. neuè  
etiam. c. r. plus oneri quam honori forent: cum he-  
roes non nisi ab heroicis Ingenijs victuro sint cele-  
brandi carmine. Nunc autem, quod felix & faustum  
sit, c. r. fratre Dn, Ioanne, Georgio principe meo cle-  
mentiss. secundas nuptias instituente nouamque læ-  
titiâ mihi atque ad eò toti patriæ conciliante, pietati  
studiisque meis consentaneum fore arbitratus sum: vt  
animi mei subiectionem ergà illius c. hoc rerum &  
temporum statu aliquo saltem inditio humillimè de-  
clararem. Cum iis autem Carminibus quæ Illustriss.  
fratris

fratris nuptiis à me scripta & edenda fuerunt, etiam  
illa coniungere visum fuit, quæ honoris tui causa  
iam antè feceram & initio planè constitueram apud  
me continere. Ac licet, vt iam suprà attigi plurimos  
qui vituperent, qui laudent, paucos fore arbitrer, ta-  
men cum eiusmodi repræhensionibus viros etiam doctiss.  
omnia scitè & suo loco & tempore tractantes nihilo-  
minus obnoxios fieri constet, tantum abfuit vt futura  
eorum obrectatio officium quod τ. c. à me debetur  
antiquissimum retardare potuerit, vt etiam de oppor-  
tuna occasione à fraternis nuptijs accepta versum il-  
lorum iam in lucem edendorum mihi maximè fue-  
rim gratulatus. Accipe igitur, θεότ. κ. τον Δοσεβείας  
ἀγαλμα hoc quaecumque meæ erga τ. c. humillimæ  
obseruantix ἐνδειγμα, meque adeò ex eorum nume-  
ro esse arbitrare, qui pro Illustriss. Excelitate tua &  
ceteris generosiss. fratribus dominis meis cle-  
mentiss. assiduè Deum interpellant. Qui  
c. τ. porrò vnà cum incluta coniuge in-  
dies magis magisque omnibus cum  
animi tum corporis donis cu-  
mulet & locupletet.

**T. C.**

*Subiectiss.*

*Ioan. Gesenius Dessauensis An.*

**CIN**

IN SACRVM NVPTIALE ILLVSTRISS. AC FORTISS. PRINCIPIS AC HEROIS DN. CHRISTIANI PRINCIPIS ANHALTINI, &C. SPONSI: NEC NON ILLVSTRIS AC GENEROSÆ DOMINÆ ANNÆ, ILLVSTRIS AC GENEROSI DOMINI, DN. ARNOLDI COMITIS IN BENTHEIM ET TECHELNBURG, STENFVRT, &C. FILIÆ SPONSÆ.

I.

**H**erois verè diuini expressa figura,  
Nec frustra à CHRISTI nomine nomen habens.  
Cum ductore Deo generoso stemmate nata,  
Et duce digna torum scandat amica tuum.  
Quæ Venerem vultu, In nonem moribus æquat,  
Atq; vel has ipsas vincit honore Deas.  
Turpe foret nimium mihi & excusabile nunquam,  
Non gaudere tuam Carmine letitiam.  
Cum sub te tanto me natum principe leter,  
Non vulgare mihi quod reor esse decus.  
Hæc ergo leta gratantes voce Camenæ  
Fecerunt tædis disticha pauca tuis.  
Quos Virtute pares Pietas coniunxit in vnum  
Alma Trias foueat perpetuoq; beet.  
Stirpis Anhaltinæ rami extendantur vt alti,  
Deficiat nec eam dux, patriæq; pater.

II.

Cum Christiane tuam sponsam Cyllenius heros  
Delapsus cælo conspiciebat, ait:

Vnde

Vnde inopina mihi hac facies his surgit in oris,  
Mortalinè feram sanguine progenitam?  
Pergama adhuc starent, Priamiq; arx alta maneret,  
Aetas si talem prisca tulisset heram  
Nam sine cæde Phrygum Paridi Cytherea probata  
Soluisset formæ præmia pacta suæ.

III.

Quæ præstat cultu mentis, qua lumine gentis  
Emicat, & veri claret amore DEI  
Herois Virtute arcis, belloque superbi  
Conscendit sacrum Dia virago torum.  
Impar coniugium quis ferret, & esse putaret,  
Est ubi par Virtus, par in amore fides?  
Tàm benè coniunctos, & fausto sidere natos,  
Iunxerit una dies tollat & una dies.  
Tàm benè coniunctos soboles generata quot annis  
Exhilaret, matrem iamq; vocando patrem.  
Tàm benè coniunctos cunctis successibus ornet  
Mactet & æterna prosperitate DEVS.

IV.

Maxima Virtutum Pietas, Charitumq; corona,  
Virtutesq; sequens Gloria digna comes,  
Et vos, quæ colitis Parnassi culmen, adeste,  
Turba sacra ò mundi totius una decus.  
Carmine, voce Chely, unanimes ad sacra venite:  
Hoc dicenda bono sunt bona verba die.  
Quem genus & Pietas, quem fortia facta suorum,  
Quem proprium cæli tollit ad astra decus.  
Ascania gentis prisco de stemmate princeps  
Illustri gaudens virgine sponsus adest.  
Quem non mille acies Mauortia castra regentem,  
Spicula non etiam tot domuère virum.

Vincitur à bella (res admiranda) puella  
Et graue sub tenero pectore vulnus alit.  
Ergò agite in carmen faciles descendite Diuæ  
Optantes sponſis fata ſecunda nouis.

P I E T A S.

**S**I ſacra quis ſecum reputet collata prophanis,  
Eſſe ait illa quidem firma, ſed iſta negat.  
Nec nomen Numen feret eſſe quod impia quondam  
Religio finxit, priſca ſuperſtitio.  
Tum Vulcanus anus fiet, Neptunus ineptus,  
In fauſtus Faunus, Phæbus ephebus erit.  
Pallida ſic Pallas fiet, nec amena Camæna  
Manſerit, ipſa venus vanaq; prorsus erit  
Eſt Deus eſt ſolus, cui vincla Iugalia cura,  
Vindice quo ſaluum perſtitit iſtud opus.  
Orbis in exortu, quando ipſe creaffet Adamum,  
Hoc vt ſanciret cura ſecunda fuit.  
Quippè Deus ſumta ſomnum carpentis Adami,  
E coſta facili pollice finxit Euam.  
Hancq; viro adiungens ſociam dedit eſſe laborum  
Quiq; ambo implerent prole ferace ſolum.  
Pro thalamo Paradifus erat, pro dote dabantur  
Orbis opes: felix copula talis erat.  
Res bona coniugium: gaudet bonus omnis honore  
Coniugij: ſpurcis ſpurca libido placet.  
Nulla tuis poterit meritis par gratia reddi,  
Nulla niſi in cælo ſoluerit ipſe D E V S  
Nanq; ( fatebor enim ) præcellentiff. princeps  
Te duce me multis cerno vigere locis.

CHO



---

---

CHORVS VIRTVTVM.

**P**vlcros pulcra decent: Virtus Virtutis amantem  
Diligit: in precio res preciosa suo est.  
Debile forma bonum est, quod donat & eripit etas,  
Cui tuto sanus fidere nemo solet.  
Solius flos Virtutis non deficit: ille  
Perpetuus famam perpetuare potest.  
Quam benè conueniens hoc par in amore iugali est:  
Corporis atq; animi præstat uterq; bonis  
Tam benè conueniunt formosa vitibus ulmi,  
Tam benè Pæstans lilia iuncta rosis.  
Digna viro hoc virgo, virq; hac est virgine dignus:  
Nestoris attingat saluus uterq; dies.

---

---

CHORVS MVSARVM.

**E**Dite Anhaltina princeps de semine stirpis,  
Qui pulsas fama solis utramq; domum.  
Hanc tibi donamus Daphneide fronde coronam,  
Quæ manet heroas eximiosq; viros.  
Vera viri Virtus turpes contemnere amores  
Nec nisi legitima prorsus amore frui.  
Talem Numen amat, talem nec deseret vnquam,  
Cum malè habet, sociam mite leuamen habet.  
O flos heroum, quis te felicior vno est  
Cui domina oblata hac tam benè cessit amor?  
Talis in amplexus cauti veniebat vlyssèi  
Talis in AEmonij Laodamia torum.  
Talis & in gremium Cephali ibat Procris amica,  
Cui tamen vnus amor caussa perire fuit

*Si genus attendas clara est: si frontis honorem  
Mortalem iures vincere posse deas.  
Hanc ut ameris ama: viden' ut sit amabilis illa:  
Suada loqui suadet plurima, pauca pudor  
Quin huius laudes nequeant recitarier omnes  
Si centum nobis ora tributa forent.  
Iam cecinisse tuas satis est hoc Carmine t'edas:  
Plura feres, patris cum tibi nomen erit.  
Vive decus patria, cum nupta vive beatus:  
Augeri cuius laus minuiq; nequit.*

---

G L O R I A.

**P**ortat amarities conflictus leta trophaea,  
Non sum plumoso Gloria nata toro.  
Subsequa Virtuti sum, quam qui spreuerit, idem  
Spernitur: à summo lex ea lata Ioue est.  
Ast tua non latuit Virtus, quam Vesper & ortus  
Novit, Anhaltina lucida stella domus:  
O nulli veterum CRISTIANE indignus auorum,  
Quos multum celebres Marte fuisse liquet.  
En tibi pro meritis igitur iustissima dantur  
Præmia, non vllis equiparanda bonis:  
Scilicet illustris virgo quæ munere diuum,  
Te faciat crebrò prole decente patrem.  
Sic vult ipse Deus, celsi moderator olympi,  
Sic factisq; tuis Gloria nata volo.

---

C H A R I T E S.

**I**ngredimur nude nos simplicitatis amantes  
Libertate simul & bonitate pares.

Cen


Ceu tribus est nobis mens vna sororibus, ac nos  
Vna eademque fides, iungit & vnus amor.  
Sic quoq; sit vobis, quos fatis iungere visum est  
Vna fides, vnus spiritus, vnus amor.  
Optime Christe faue: facunda secundaq; talis  
Copula sit sponsis effice, queso, nouis.  
Crescat vt indè tibi resonans Ecclesia laudes:  
Crescat & Ascania gentis auita domus.

FINIS.









Ja 666

ULB Halle 3  
002 177 021



5b-700


V017

MC









63.  
73

VERSUS GRATVLATORII  
HONORI


ILLVSTRISS. ET  
PIENTISS. PRINCIPIS AC  
DOMINI, DN. IOANNIS GEORGII PRIN-  
cipis Anhaltini, Comitis Ascaniæ, do-  
mini Seruestæ & Bernburgi, &c.  
secundùm iam sponfi:

ET ILLVSSTRISS. AC GENERO-  
SISS. DOMINÆ, DN. DOROTHEÆ  
*Nata Comitissa Palatina, magni illius & for-  
tiss. herois, DN. IOANNIS CASIMIRI,  
L. M. Comitis Palatini proelecto-  
ris &c. filia unica relicta.*

Nuptias celebrantium Heidelbergæ Prid.  
Cal. Septemb. ANNO clō. Io. xcv.

Quibus addita sunt Carmina ad  
Illustriss. Principem & dominum, Dn. CHRIS-  
TIANVM PRINCIPEM ANHAL-  
TINVM, &c. de ipsius  
Cels. nuptiis.

AUCTORE IOANNE GESENO  
DESSAVIENSI ANHAL.



HEIDELBERGÆ,  
Apud Abrahamum Smeßmannum.  
ANNO clō. Io. xcv.